

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

XIII.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

A. 1552.

PARS SECUNDA.

37

Negelinus, gentilis meus, quos vellem per hunc Biberacensem nuncitum ad me scribere. Flinero quoque omnia fausta precor. Tu cum sancta tua & publica ac privata domo optimè vale & me tibi commendatum habe. Raptim, Tubingæ. 4. Octobris 1552.

I. I.

Martinus Frechtus.

XII.

S. D. Reverende vir & charissime frater!

Cum jam iter ingressuri essent nostri bibliopolæ, venit ad me Vir honestus, Sebastianus Matthæus, Wittebergensis, qui narrat, debere sibi Argenteratensem Johannem Weidner quadraginta Joachimicos & grossos duodecim, ac promississe, se numeraturum esse eam pecuniam statim post Nondinas Francofordianas, quæ promixò autumno fuerunt. Quæso ut in re justa, quantum potes, vel apud ipsum, vel apud magistratus agas, ut debitum numeretur. Scis, hæc officia necessaria esse. De ceteris rebus scribam alias. Dux Prussiæ edidit conciliationem sententiæ Osiandricæ & Brentianæ & præcipit iis, qui non adfentiuntur, ut discedant. Inde novi tumultus orientur. Bene & feliciter vale, & rescribe. Die X. Martii. 1553.

Philippus Melanthon.

XIII.

Gratiam & pacem DEI per Christum.

Sicut non levi dolore, patres & fratres in Domino plurimum observandi antea ex cruciati fuimus, cum ex multis locis partim literis, partim sermone hominum ad nos perferretur, Osiandri errorem & in Prussia, & Norimbergæ invalescere constabilirique vestris quibusdam scriptis, quibus (ut Osiander privatim publiceque gloriatur suis) ei quasi patrocinari videremini: Ita nunc contra non vulgari gaudio affecti sumus, cum vestram declarationem & Confessionem die 30. Januarii nuper scriptam perlegimus. Nam etsi ea quoque quidam cuperent tum prolixiora, tum & dilucidiora esse, tamen nos bona spes habet, vos illis ipsis scriptis erepturos Osiandristis gloriandi de vestro secum consensu ansam, quam se ex prioribus admodum firmam commodamq; arripuisse

arripuisse putabant, præcisuros etiam occasionem in pios saviendi illis, qui senis Principis lenitate turpiter & impie ad stabiliendum errorem furoremque suum abutuntur.

Ut autem aliquid de ipsa Osiandri causa dicamus, fatemur sane nos quoque inter primos, præsertim cum à Principe de nostra sententia interrogaremur, aliquid de ea & dixisse & scripsisse; Non quidem ideo, quod nos aliis ingeniosiores eruditioresque esse judicaremus, sed quod & Osiandrum jam de nostro quoque consensu gloriari audiebamus, & magnitudo erroris miseriarumque Ecclesiæ Brutenicæ nos non parum movebat, denique & rei perspicuitas facilitasque plurimum animabat. Quæ enim religionis nostræ pars hisce 36. annis ab instauratione Evangelii magis agitata diligentiusve tractata est, quam doctrina Justificationis? Nec sane etiam ullam vel graviolem, vel justiolem, vel clariolem materiam in tota cum Antichristo controversia nos habere sensimus, quam hanc ipsam de Justificatione doctrinam. In qua cum illi suam infusam justitiam urgerent, contenderentque donationem Spiritus Sancti, instaurationem corruptæ naturæ, bonaque opera inde profecta esse nostram justitiam, nos semper contra ex Paulo doctrinæ hujus præcipuo fonte monstravimus, justitiam peccatoris nihil aliud esse, quam gratuitam peccatorum seu debitorum remissionem, factam per fidem propter satisfactionem Christi: Esse illam gratuitam DEI acceptationem, qua nos coelestis pater ex hostibus sibi in filios adoptat, propter unigeniti filii meritum seu exuberantem legis impletionem, obedientia ac passione ejus præstitam. Quam justitiam seu justificationem etsi consequatur illa obsequatio arrabonis spiritus, illa DEI inhabitatio, primitiæque communicationis Divinorum bonorum, seu infusæ justitiæ inchoatio, tamen illam nequaquam esse eam justitiam, qua peccator primum coram DEO justificetur & pro justo habeatur, sed pertinere hæc omnia proprie ad vitam æternam seu coelestem hæreditatem.

Hac ergo causa tam longo tempore, tantoque studio contra Papistas agitata & defensa, pulchre sane, non solum stare, sed & triumphare de eis tanquam victores, quin & dubiis vexatisque piorum conscientis ingens commodum peperisse visi sumus. Quare maxime doluimus, hunc præcipuum religionis nostræ articulum ingenti DEI beneficio tam luculenter non solum vindicatum ab Antichristi tenebris, sed etiam illustratum nunc denuo, non tam vocari in dubium, quam horribiliter damnari, omnesque sic sentientes, cum maximo impiorum gaudio & imbecillium scandalo, ac Spiritus Sancti in eorum pectoribus contristatione.

Hisce ergo causis moti, cum præsertim de nostra sententia & ab illustrissimo Principe, & aliis interrogaremur, haud sane inviti publice, quid de Osiandri dogmate sentiremus, proposuimus. Atque hæcenus de ipsa causa,

causa, jam paucis exponemus, cur vos, Viri doctissimi ac in domino plurimum colendi, hoc tempore compellere voluerimus.

Cum post omnes datas hactenus ab Osiandro, eique adhærentibus, turbas, vidissemus nuper Brutenicum edictum, in quo sub comminatione gravissimarum pœnarum omnes (ut breviter, quod res est, dicamus) cum Osiandro loqui & sentire jubentur, illudque edictum vestris potissimum scriptis niti, cui integra ea vestra scripta inserta sunt, minioque expressa singula, quæ pro Osiandro facere possunt, cumque porro audiremus dimissiones, exilia rectè in Prussia docentium & sentientium, aliasque illarum Ecclesiarum difficultates, & insuper à quibusdam illis fratribus rogaremur & obsecraremur, ne laboranti veritati ac Ecclesiis illis deesse velimus: Nihil nobis commodius incidere pro gloria DEI illarumque Ecclesiarum salute potuit, quam si vestram eis auctoritatem sententiamque, quam illi fundamentum sui edicti ponunt, adimeremus.

Quare cum & impressam Wittembergæ declarationem vestram & manuscriptam unà cum brevi confessione illic non edita accepissemus, significareturque nobis à Viris dignissimis fide, ab Illustrissimo Principe vestro ea scripta illuc missa esse, eaque perlecta satis clare vestram sententiam de Osiandri dogmate, exprimere viderentur, putavimus nos rectè atque ordine facturos, si eadem hic recuderemus. Neque enim dubitabamus, id ipsum tum vos, tum Illustrissimum Principem fieri cupere, quandoquidem ii, ad quos ea mississetis, illa jamdudum publicassent. Adjunximus porro & præfationem & Scholia, ut somnolentis imperitioribusque lectoribus, quibus brevitatis ista, priusquam eam satis apprehenderint, elabatur, opem ferremus. Quare oramus vos & per Christum obtestamur, ne hoc nostrum factum in peiorem partem accipiatis, sed potius, etiamsi aliquid studio juvandi periclitantem Christi veritatem & Ecclesiam diliquissemus, id nobis fraterne condonetur. Nihil enim minus, DEUS novit, cuperemus, quam dum illum Brutenicum errorem extinguere laboramus, novo alicui incendio aut dissidio causam præbere. Atque hæc quidem, non ed scribimus, quod vel vos minus prudentes, nimisve iracundos esse suspicemur, vel nobis conscii ullius erga vos culpæ simus; sed quod & vobiscum & cum omnibus qui unum cum Christo sunt, nos quoque unum esse ex animo cupiamus. Nec quicquam sane (quod quidem nos sciamus) vel in præfatione, vel in scholiis diximus, quod vos ullatenus lædere possit. Quod verò aliquoties reperivimus, vestras illas priores consultationes, non esse causæ dijudicationes, ideoque rem & controversiam tam gravem, secundum eas discerni finiri que non posse, id ex principio vestræ declarationis accepimus, ubi vosmet ipsi disertè affirmatis, vos hactenus de controversia scriptisque partium nihil judicare voluisse, sed

E

tantum

tantum lenia quæſiſſe, quibus pax amicitiaque inter partes diſceptantes ſanciri ac coaleſcere poſſit.

Quod reliquum eſt, ſicut ſperamus, vos candidè hoc noſtrum factum eſſe interpretaturos, noſque habituros pro veſtris in Chriſto fratribus, quales noſ in confeſſione veræ fidei haſtenus vobis ac toti Eccleſiæ libenter quidem exhibere voluimus, ita rogamus patrem Domini noſtri Jeſu Chriſti, ut noſ una vobiſcum ſervare in ea confeſſione ac ſtudio conſervandæ veræ doctriinæ velit adverſus naſcentes ſubinde corruptelas, aliasque artes & machinationes Sathanæ, quibus Chriſti Eccleſiam polluere conatur. Arque expectamus amicam reſponſum jam à vobis pro veſtra pietate: pro qua ſi veſtram etiam ſententiam nobis oſtenderitis ex verbo DEI, de reliquis noſtris certaminibus adiaphoricis, item neceſſitatis operum ad ſalutem, quid in eis probandum aut improbandum, & porro faciendum eſſe judicetis, erit id nobis gratiſſimum, nec unquam ſane commitemus, quin cuius recta monenti ex verbo DEI ſummo ſtudio in tantis rebus, pertinentibus ad communem noſtram religionem, libenter ſimus obſecuturi. Bene in Chriſto valete. Datæ Magdeburgi in vigiliâ Pentecoſtes Anno 1553.

Veſtri antiquiſſimi in Domino fratres

Nicolaus Gallus.

Matthias Flacius. Illyricus.

XIV.

S. D. Reverende vir & Cariſſime Frater.

TAm multa vidimus triſtia exempla hoc ſeptennio, pulſos & captos Principes, expilatas civitates, deleta igni oppida, interfectos principes, nec tamen ſeſtantur animi ad faciendam pacem. Ut poſt Epaminondæ mortem ait Xenophon, in Græcia fuiſſe *in ætate regi magis* majorem: Ita poſt noſtri Ducis interitum, nova bella in his regionibus metuimus. Henricus Brunſuicenſis occupat Erici oppida. Interea Marchio Albertus rurfus colligit exercitum & minatur atrociam. Nunc Lipſiæ conventus eſt, ubi Regis Danici & multorum Principum legati de pace agunt. Oro autem Filium DEI Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, ut poenas leniat, quas cum aliis multis ſcleribus omnes attraxerunt, tum verò hoſtes Evangelii, odio veritatis, alii verò libertatis abuſu & multiplici petulantia. Si progreſſus